

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris
Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

De amicitia, quæ affabilitas dicitur. Quæstio 114.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

616 QVÆST. CXIV. ART. I.

a. 7. ad fin. losophus dicit in 4.* Ethicorum, quod & superabundia, & valde, defectus iactantium est. Propter quod
10. 4. & de Augustino legitur, quod neque vestes nimis
preciosas, neque nimis abiectas habere volebat:
quia in utroque homines suam gloriam querunt:

Ad tertium dicendum, quod sicut dicitur Eccl. 19.
Est qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena
sunt dolo. Et secundum hoc Salomon doquitur de eo
qui ex dolosa humilitate nequiter vocem suam sub-
mittit.

QVÆST. CXIV.

De Amicitia, qua affabilitas dicitur, in duos articulos diuisa.

Deinde considerandum est de amicitia, qua affa-
bilitas dicitur; & de virtutibus oppositis, quae sunt
adulatio, & litigium.

¶ Circa amicitiam autem, seu affabilitatem que-
runtur duo.

¶ Primo, utrum sit specialis virtus?

§ 84. Secundo, utrum sit pars iustitiae?

*Sup. q. 22. a. 3. ad 7. Et 3. dis. 27. q. 2. 4. 2. ad 1. Et di. 34. 9. 1. ar. 2. ad 8. Et virt. 9. 3. ar. 5. ad 5. Et 2. 4. 2. * li. 8. c. 3. † c. 4. p. 1. * c. 6. pa- rū ante med. t. 5. † c. 6. t. 5.*

A R T I C. I.

Vtrum amicitia sit specialis virtus?

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod amici-
tia non sit specialis virtus. Dicit enim Philo-
sophus in 8.* Ethicorum, quod amicitia, perfetta est,
qua est propriæ virtutem. Quilibet autem virtus est
amicitiae causa: quia bonum omnibus est amabile, ut
Dionysius dicit 4.† cap. de diuin. nomin. Ergo amici-
tia non est specialis virtus, sed consequens omnem
virtutem.

¶ 2 Præterea, Philosophus dicit in 4.* Ethicor.
de tali amico, quod non in amando, vel inimicando
recipit singula, ut eporter. Sed quod aliquis signa a-
micitiae ostendat ad eos quos non amat, videatur per-
tinere ad simulationem, qua repugnat virtuti. Ergo
huiusmodi amicitia non est virtus.

¶ 3 Præterea, Virtus in medietate constituitur,

prout sapiens determinabit; sicut dicitur 2.† Ethicor.

Sed

Sed Eccles. 7. dicitur, Cor sapientum, vbi tristitia; &
cor stultorum, vbi lætitia. Vnde ad virtuosum perti-
net maximè à delectatione sibi cauere: ut dicitur 2.
Ethicor.* Hæc autem amicitia per se quidem deside-
rat condelectare, contristare autem reuereatur, vt Phi-
losoph. dicit 4.† Ethic. Ergo huiusmodi amicitia non
est virtus.

SED contra, Præcepta legis dantur de actibus vir-
tutum. Sed Eccles. 4. dicitur, Congregationi paupe-
rum affabilem te facito. Ergo affabilitas, quæ hic ami-
citia dicitur, est quædam specialis virtus.

R E S P O N D E O dicendum, quod sicut dictum
est*, cùm virtus ordinetur ad bonum, vbi occurrit
specialis ratio boni, ibi oportet esse specialem ratio-
nem virtutis. Bonum autem in ordine consistit, sicut
suprà dictum f est. Oportet autem hominem conuen-
tienter ad alios homines ordinari in communi con-
uersatione, tam in factis, quam in dictis, vt scilicet ad
vnunquamque se habeat secundum quod decet. Et
ideo oportet esse quædam specialem virtutem, quæ
hanc conuentientiam ordinis obseruet. Et hæc vocatur
amicitia, siue affabilitas.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus in
libro* Ethicorum, de duplice amicitia loquitur, qua-
rum vna consistit principaliter in affectu, quo unus
alium diligit. Et hæc potest consequi quamcumque
virtutem. Quæ autem ad hanc amicitiam pertinent,
suprà de charitate dicta sunt*. Aliam verò amici-
tiam ponit, quæ consistit in solis exterioribus vel ver-
bis, vel factis: quæ quidem non habet perfectam ra-
tionem amicitie, sed quædam eius similitudinem,
in quantum scilicet quis decenter habet se ad illos,
cum quibus conueratur.

Ad secundum dicendum, quod omnis homo natu-
raliter omni homini est amicus, quodam generali a-
more: sicut etiam dicitur Eccles. 13. quod omne ani-
mal diligit simile sibi. Et hunc amorem repræsentant
signa amicitie, quæ quis exterius ostendit in verbis,

R r 2 vñl

* c. vii.
to. 5.
† c. 6. §. 5.

q. 109. a.
2. c. 1. 2.

q. 55. a. 3.
† q. 109.

a. 2. c. 1.

2. q. 5.

at. 5.

q. 23. ar.
1. c. ar.

3. ad 1.

vel factis, etiam extraneis, & ignotis: vnde non est ibi simulatio. Non enim ostendit eis signa perfectæ amicitie: quia non eodem modo se habet familiariter ad extraneos, sicut ad eos qui sunt sibi speciali amicitia iuncti.

Ad tertium dicendum, quod cor sapientum dicitur esse ubi tristitia, non quidem ut ipse proximo tristiam inferat: dicit enim Apostolus ad Roman. 14. Si propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundum charitatem ambulas: sed ut contrastantibus consolationem conferat, secundum illud Eccl. 7. Non desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula. Cor autem stultorum est ubi letitia, non quidem ut ipsi alios letificant, sed ut ipsi aliorum letitia perfruantur. Pertinet ergo ad sapientem, ut condelectationem afferat his cum quibus conuersatur, non quidem lascivam, quam virtus cauer, sed honestam: secundum illud Psal. 131. Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in unum. Quandoque tamen propter aliquod bonum consequens, vel propter aliquod malum excludendum, non refugiet virtuosus eos quibus conuiuit, contrastare, ut Philosophus dicit in 4.* Ethicor. Vnde & Apostol. dicit 2. ad Corinth. 7. Si contrastauis vos in epistola, non me penitet. Et postea, Gaudete, non quia contrastati estis, sed quia contrastari estis ad penitentiam. Et ideo his qui sunt proni ad peccandum, non debemus hilarem vultum ostendere ad eos delectandum, ne videamus eorum peccato consentire, & quodammodo peccandi audaciam ministrare. Vnde dicitur Eccles. 7. Filii tibi sunt? serua corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas.

ARTIC. II.

Vtrum huismodi amicitia sit pars iustitiae?
Secundum sic proceditur. Videtur, quod huismodi amicitia non sit pars iustitiae. Ad iustitiam enim pertinet reddere debitum alteri: Sed hoc non pertinet ad hanc virtutem, sed solum delectabiliter alijs

alijs conuiuere. Ergo huiusmodi virtus non est pars iustitiae.

¶ 2 Præterea, Secundum Philosoph. in 4.* Ethic. 6. 6. 10. 5.
huiusmodi virtus consistit circa delectationem, vel tristitiam, quæ est in coniunctu. Sed moderari maximas delectationes pertinet ad temperantiam, ut supra habitum est*. Ergo hæc virtus est magis pars temperantie, quam iustitiae.

¶ 3 Præterea, æqualia inæqualibus exhibere, contra iustitiam est, ut supra habitum est*. Sed sicut Phil. dicit in 4† Ehi. Hæc virtus similiter ad notos & ignotos, & consuetos & inconsuetos operatur. Ergo hæc virtus non est pars iustitiae, sed magis ei contrariatur.

S E D contra est, quod Macrobius * ponit amicitiam partem iustitiae.

RESPONDEO dicendum, quod hæc virtus est pars iustitiae, in quantum adiungitur ei, sicut principali virtuti. Conuenit enim cum iustitia in hoc, quod ad alterum est, sicut & iustitia. Deficit autem à ratione iustitiae, quia non habet plenam debiti rationem, prout aliquis alteri obligatur: vel debito legali, ad cuius solutionem lex cogit: vel etiam aliquo debito proueniente ex aliquo beneficio suscepto. Sed solum attendit quoddam debitum honestatis, quod magis est ex parte ipsius virtuosi, quam ex parte alterius, ut scilicet faciat alteri quod decet eum facere.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut supra dictum est*, quia homo naturaliter est animal sociale, debet ex quazdam honestate veritatis manifestacionem alijs hominibus, sine qua societas hominum durare non posset. Sicut autem non posse homo vivere in societate sine veritate, ita nec sine delectatione: quia sicut Philosoph. dicit in 8.* Ethic. Nullus potest per diem morari cum tristi, nec cum non delectabili. Et ideo homo tenetur ex quodam naturali debito honestatis, ut alijs delectabiliter conuiuat, nisi propter aliquam causam necesse sit aliquando alios vtiliter contristare.

Rr 3 Ad

Elicitur
ex 1. 2. q.
60. ar. 5.
¶ 4. 61.
ar. 3.
* q. 59.
ar. 1.
+ c. 6. an-
te me t. 5
* li. 1. in
1. fol. an-
te me. li.

q 109. 4.
3. ad 1.

c. 5. 10 5.

630 QVÆST. CXIV. ART. II.

Ad secundum dicendum, quod ad temperantiam, pertinet refrænare delectationes sensibiles. Sed hæc virtus consistit circa delectationes in coniuictu, quæ ex ratione proueniunt, in quantum unus ad alterum decenter se habet. Et has delectationes non oportet refrænare tamquam noxias.

Ad tertium dicendum, quod verbum illud Philosophi non est intelligendum, quod aliquis eodem modo debeat colloqui, & conuiuere notis, & ignoris: *e. g. circa med. t. 5.* quia ut ipse ibidem * subdit, Non similiter conuenit consuetos, & extraneos curare, aut contristare. Sed in hoc attenditur similitudo, quod ad omnes oportet facere quod decet.

QVÆSTIO CXV.

De adulatio, in duos articulos divisâ.

Dinde considerandum est de vitijs oppositis prædictâ virtuti. Et primò, de adulatio. Secundò, de litigio.

¶ Circa adulatio queruntur duo.

¶ Primo, vtrum adulatio sit peccatum?

¶ Secundo, vtrum sit peccatum mortale?

ARTIC. I.

536

Vtrum adulatio sit peccatum?

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod adulatio non sit peccatum. Adulatio enim consistit in quadam sermone laudis alteri exhibito, intentione placendi. Sed laudare aliquem non est malum, secundum illud Proverb. vlt. Surrexerunt filii eius, & beatissimam prædicauerunt, vir eius & laudavit eam. Similiter etiam velle placere alijs non est malum, secundum illud 1. ad Corinth. 10. Per omnia omnibus placebo. Ergo adulatio non est peccatum.

¶ 2 Præterea, Eono malum est contrarium, & similiter vituperium laudi. Sed vituperare malum non est peccatum. Ergo neque laudare bonum, quod videtur ad adulatio pertinere. Ergo adulatio non est peccatum.

¶ 3 Præterea, Adulationi detractiono contrariatur.

Vnde